



EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

T.

Na. 38.





ORATIO  
 DE CAUSIS, CE-  
 LEBRATIONE AC DI-  
 GNITATE SCHOLARVM IN  
 veteri & nouo testamento constitutarum,  
 habita Helmæstadij in inclyta Academia  
 IVLIA Calend: Februarij anni  
 Epochæ Christianæ  
 CIO. IO. XCI.

à  
 M. HENRICO ACHEMIO.



HELMÆSTADII  
 Excudebat Iacobus Lucius, Anno 1593.










ILLVSTRISSIMIS AC  
 OPTIMIS PRINCIPIBUS ET DOMI-  
 NIS, DOMINIS ERNESTO, ET CHRISTIANO  
 fratribus, laudatissimis Brunovicensium & Lu-  
 næburgensium ducibus, celsitudinis domini patris, domini  
 Gulielmi principis gloriosissimi nuper a perturbationibus hu-  
 ius vitæ ad fruitionem cælestis pacis & beatitudinis avocati  
 vicem subeuntibus, dominis suis clementissimis  
 divinam benedictionem pre-  
 catur.

 Pes, salvete duces, favore cæli,  
 Virtutis patriæ: ter hinc, quaterq;  
 O salve generose sanguis (orte  
 Divo principe stirpis ò vetustæ  
 Brunonis, celebris domusq; lunæ

Arcis: principe matre, regionum  
 Heroum Daniæ genus refert quæ  
 Iure ) flos pietatis, atq; divæ  
 Lumen iusticiæ: superna tecum  
 Pax sit, quæ foveat data salute  
 Tuas res: animam potente verbi  
 Pastu: munere sanitatis almo  
 Corpus largiter augeatq; donis  
 Extra quæ bona sunt: Dei sit hæc pax  
 Principum domui, sit eius altrix.

A 2

Verum



Verùm gratia cùm favore multo  
Cœli, quos habitat locos? docetur  
Vbi ius superùm, Dei quod est vox,  
Integrum, improbitatis atq; purum,  
Affectu sine reprimente iussa  
Cœli: temnere, qui statuta Divùm,  
Ac ausit vacuas salute voces  
Frustrà spargere: quod solet Getarum  
Dira gens, Scythiæq; sit procul sit  
Longè gens studijs iuvat nefandas  
Quæ res, & reprobat Deo probatas.  
Sede, qua vitij timor locat se,  
Et virtutis amor. Bonis redundant  
Certè hîc omnia, cœlitus fluunt quæ.

Ergo justiciam tuentur, his, qui,  
Publicas ratione legis & res,  
Prima cura sit hæc, laborq; primus,  
Cultus relligionis integer sit,  
Et vox pura sonet Deo profecta:  
Quæ non sub specie ferat salutis  
Toxicum nocuo potens vigore.

Atqui mons vacuus fit inde cæsa  
Crebrò vt arbore, frondibusq; cassus,  
Colle si careat virente plantis,  
Eius quæ repleant scrobes repostæ:

Sic



Sic & mons domini facer piorum  
Sion destruitur, fouens tenellas  
Stirpes colliculus, ferax Lycium  
Hunc si destituit: vigente surgat  
Flore in quo soboles: propago quæ sit  
Cætus, sancta Dei pio sequentis  
Corde iussa: Scholæ magistra quare  
Sit domus pietatis, ac timoris  
Veri numinis, officina sancti  
Spiritus, studij boni appetendi,  
Vitandiq; mali: tenax sit omnis  
Virtutis, vitium fugans, nefas ut  
Exulet procul inde, dissipat quod  
Laudem iusticiæ boni coloris  
Subter tegmine proditoris æqui,  
Et sacræ fidei: dolos opertam  
Iactantes speciem, lues domus, sint  
Hinc procul: violator atq; cultus  
Diuini fugiat, precumq; foetor  
Iustarum: tragici procul melodæ  
Absit relligio vocantis iram  
Divûm, prodiga quæ salutis, ac est  
Gratiæ: petulantis hinc putetur  
Linguæ luxuries, ferenda sanctè



Dēmens sacra Deo: iocis sub atq;  
Ludis perniciem struentis inde  
Ars cedat, populi leves meretur  
Quæ plausus. Medicamen at salubre est,  
Factionis opus trahens pericla  
Quod tollit, fuga iussa negligentis  
Contentus superùm: quies manebit  
Florens, paxq; suis opes feret sic.

Hisce libera sic domus fuisset  
Doctrinæ vitijs, boni maliq;  
Arbor cognitionis, insita horto  
Eden, si veteris venena noxæ  
Evitasset homo. Deo receptis  
Sic domus studijs fuit dicata  
Enos, cœperat invocare dium  
Qui nomen: schola talis extititq;  
Patris Thariadæ docentis olim  
Lagæum populum: fuitq; talis,  
Sano dogmate quæ fovebat arcam  
Fœderis: similis quibus fuitq;  
Thesbitæ domus: huius & ministri  
Quondam Saphatidæ: sequuntur, & qui  
Hunc vatam: revehentis & salutem,  
Amissumq; bonum sui cruoris  
Fonte Christiadûm lœm lauatae                      Genti:



Genti: Quotquot ab hoc fuere docti  
Mystarumq; Decus quod est ministræ  
Lausq; vera scholæ Deo docentis  
Orta: Gloria perpetim hæc manebit.

Quare tanta salus sit, atq; fructus  
Moris cum veterum, probandus idem  
Et nobis, meditatione digna  
Estq; res, ratione, qua statuta  
Maiorum valeant; vacentq; peste  
Destruente bonas, fovente sed res  
Noxias: meditamini potiti  
Rerum, floreat ut salubris ergo  
Hæc res, quæ cupidam sitim liquore  
Israel relevat, vadiq; tollit  
Amne Castalij, calens iuventæ  
Quæ pectus premit. Illa volverem cum  
Mente, suasio quæ rudis minevræ  
Dictavit, duce gratia superna,  
Hæc apertè animus fuit referre  
De scholis: titulo sub atq; magni  
Tutus nominis, hæc sacri vireti  
Divinos latices benignitate  
Tutanti, fidei integrè legentum  
Parva mittere, publicoq; iuri.

Quæ cum fontibus hausta sint saccratis,      Le-



Lectoriq; ratas referre causas  
Ortus, atq; status docentis auctus  
Moris, munere, res, Dei probatas  
Norint: In folio piè sedentùm  
Cor & flectere, liberalitate  
Illos ut foucant, sapientiæ, qui  
Sancto monte Dei trahentis ortum  
Naturæ cupiunt decus parare:  
Nec nō immemoris movere labem  
Factorum bene mentis: At favore  
(Principes fidei salutis, atq;  
Duces iusticiæ bonum ferentis)  
Altus sum patriæ benignitatis  
Olim magnificentia, sacratos  
Scrutarer studijs Dei recessus  
Verbi: cum sophiæ sacro vacarem  
Sumtu, quæ superùm fuit creata  
Lege: me pietate cum Lycium  
Formaret Viadri: decus foveret  
Cum me Neccareum pio labore  
Virtutis: foveat Deus laborem.

Clementissima celsitudo, virtus  
Vestra & justiciæ, precor, resumat  
Altrix exiguos, feruntur hîc qui  
Fructus, pectore consulentis æqui

Ac



Ac boni, rigui sacro vireti  
Fonte, quod fovet ampliora vobis  
Dona, tempore quæ suo ferentur.

Cui vos incolumes Deus reseruet,  
Dux Erneste tegat tuam, tegat dux  
Christiane tuam Iehoua vitam  
Cœli præsidio: tegat sub umbra  
Alarum bona conferente pacis,  
Virtutis dominamq; Dorotheam  
Custodem pietatis atq; cultus  
Matrem: sic reliquam tegatq; prolem,  
Et fratrum decus, & decus sororum,  
Divum munus: amor sequatur illos  
Cœli plurimus: in timore sancti  
Vivant numinis, ut colant statuta  
Cœlitum: tueatur omnium jus  
Fidè consilij. Deus reseruet  
Sic vos incolumes beatitate,  
Rectos lumine veritatis, atq;  
Iugiter benedictione ditet.

*Illustrissima eorum celsitudinis  
humilis servus*

M. Henricus Achemius.

B

EPI-





EPIGRAMMA

In arborem vitæ, item cogni-  
tionis boni & mali horto Eden para-  
diasico insitam.

**A**rbor quid signat vita, quæ floret in horto  
Eden, cujus cum vita sapore venit?  
Autorem vitæ Christum docet: arboris hujus  
Vsus nam mortis noxia sensa fugat.  
Sed vicina boni celebrata maliq; quid arbor  
Cognitione notat? lege statuta docet.  
Monstrat opus vitæ, noxam lex arguit, unde  
Damnatur: sicq; malum cum bonitate refert.  
Fructibus, ut vinas, ligni tu vescere vitæ,  
Hujus erit gustu vitæ beata tibi.





ORATIO  
De Scholis.



Vanta res sit, optimi auditores, reipublicæ Ecclesiasticæ ciuem esse, docet votum regij prophætæ Davidis, quo à Deo petit, vt habitet in domo eius omnibus diebus vitæ suæ ad conspiciendum pulcritudinem Iehouæ, & visitandum templum eius, &c. Non enim majus alicui in hac vita bonum obuenire potest, quam esse in coetu, extra quem non est salus & vita, amplectentium veram de Deo doctrinam, & fruuentium beneficijs à Christo saluatore ei collatis. Etenim hic Deus agnoscitur, inuocatur, colitur, celebratur: hic creatura logica suum finem consequitur: hic omnibus cælestibus rebus efficaciter muneratur: hic verè spiritualia bona nanciscitur: hic æternæ vitæ consuetudo, & beatitas inchoatur. Est namq; caput Ecclesiæ, & summus pontifex ipse filius Dei Ihesus Christus, ex cuius latere aquam & sanguinem effundente illa ædificatur.

*Psalm. 27*

*August:*

*Q. 65. Q.*

*45.*

*Ad Ephes*

*2.*

*1. ad Ti-*

*moth. 3.*

*Yrenæus*

*lib. cont.*

*valent:*

*cap. 3.*

*Ambros:*

*lib. 3. cap.*

*2. in Lu-*

*cam.*

*Matth. 16*

*Matth. 18.*

Quo eodem summo angulari lapide ac petra subsistente immotum eius fundamentum est, doctrina Prophetarum & Apostolorum. Qua de causa columna & firmamentum veritatis, item custos fidei nuncupatur. Idem autem Christus corpus est, cui membra per lauacrum regenerationis ac renouationis spiritus sancti inseruntur, & verum sui pontificis corpus & sanguinem participant. Vnde Ecclesia mater viventium appellatur, cuius anima una est, unum cor, unum os. Cujus robur, potestas, & decor gloriosa sunt. Portæ enim inferorum aduersus eam non prævalent: claves regni cælorum ipsi commissæ sunt, vt quæ solvit in terra, & in cælo soluta, quæ verò ligat, ligata sint. Sub gravissimis vero ærumnis & maximis afflictioni-



*Psal. 25.*

*Psal. 83.*

*Proverb.*

*22.*

*Proverb.*

*24.*

bus victorijs mirando modo obtentis se ostentat, & pretiosis martyrijs conorata magnificè splendet. In quarum rerum meditatione animus vniuscuiusq; electorum versatus suum cum eodem propheta affectum & desiderium ita exponet: Iehoua diligo habitaculum domus tuæ, & locum domicilij gloriæ tuæ &c. Item, Quàm dilecta tabernacula tua, domine virtutum, concupiscit, & deficit anima mea in atrio domini. Verum enimverò vt montes non sunt sine collibus, nec syluæ sine seminarijs: ita neq; Ecclesia sine scholis Spiritus sancti *ἐκκλησίᾳ* subsistere potest. Etenim illi rebus requisitis destituti collabuntur & intereunt: & hæc desideratis orbata causis altricibus ruinam edit. Quapropter quanta ratio Ecclesiæ Dei habenda est, quanta dignitas & gloria in eius salute sita: tantum studium, opera, officium & labor in id conferenda sunt, vt scholæ constituantur, conseruentur, augeantur, ornentur, floreat. Hæ enim sunt verè tabernaculum testimonij, & arca fæderis, in quibus doctrina Prophætica & Apostolica, philosophorumq; ac iurisperitorum disciplina, quæ etiam vox divina est, asseruantur. sunt fidelissimæ fasciarum Christi salvatoris, hoc est, linguarū & liberalium artium, quibus nostra salus ac vita inuoluta est, custodes: sunt locus, ubi iuxta sapientissimi regis Solomonis monita cor ad doctrinam apponitur, & mel comeditur, quod vt bonum est, & fauus dulcis gutturi: sic & præceptiones sapientiæ animæ &c. Qua propter cum & nos in scholastico vitæ genere divina dispositione constituti simus, vt doctrinam de cælesti veritate, & alijs bonis rebus conseruemus, integrum scholarum statum tueri studeamus, & in eo munere, diligentiam, fidem, tolerantiam, aliaq; virtutum officia præstemus, schola nostræ orationis materies erit. Quæ ne confusè, sed electè ac discretè proponatur, primò de causis, ob quas scholæ constitutæ fuerunt, & in posterum constitui debent, dicemus: deinde scholas ab initio mundi semper Ecclesiæ Dei coniunctas fuisse in veteri & nouo fædere commonstrabimus: & ad  
extre-



extremum pauca de dignitate, & laude ordinis scholastici sub-  
jiciemus. Hæc quia ab hoc loco non sunt aliena, sed vt à li-  
beralibus, & bonarum rerum studiosis cognoscantur digna,  
viros doctrina & virtute venerabiles pro suo in rem literariam  
fauore ac beneuolentia, nobiles verò ac ingeniosos adolescentes,  
pro amore res statui ipsorum cognatas percipiendi ab aliarum  
rerum cogitatione parumper animos abducturos, & ad has  
tam vtilis, tam salutare, tam iucundas linguæ balbutientis hæ-  
sitantia proferendas excitaturos esse, in optimam spem addu-  
cimur.

Hominem creaturam logicam non ad vitam incultam, &  
ab hominibus desertam, sed vt cum alijs in societate coniun-  
gatur, à Deo creatore conditum esse & sacræ & ethnicorum  
literæ testantur. Siquidem vtraq; decalogi tabula ipsum cum *Exod. 20.*  
altero sociat, prior cum Deo, posterior cum homine. Quippe  
primum præceptum regit cor hominis, & docet, qualis debe-  
at esse noticia Dei, & quales affectus, qui illam comitari solent.  
Secundam regit linguam, & concionatur de externis cultibus,  
qui in sermone consistunt. Nam sicut in corpore humano  
cordi proximè conjuncta sunt organa vocis & sermonis: ita  
Deus non tantum vult internis veræ sui agnitionis cultibus affici,  
qui ex corde proficiscuntur, sed etiam lingua laudari, sermone  
& verbis efferri, ore vult celebrari. Tertium vero præceptum  
collocat hominem in societate Ecclesiæ, ideoq; de externis  
cultibus docet, qui in illius conuentibus exerceri debent.

Quartum ordinat œconomias & politias, & sic societatem  
totius generis humani munit. Sic quintum vniuscujusq; homi-  
nis corpus & vitam tutatur. Sextum metas conjugiorum præscri-  
bit. Septimum singulorum domicilia, & alia vitæ necessaria  
confirmat. Octauum cuiusq; hominis famam defendit, & ve-  
ritatem iudiciorum ordinat. Deniq; nonum & decimum ge-  
neralem omnium præceptorum decalogi declarationem sub-  
jungunt, quod in illis non tantum de externis virtutibus vel



operibus præcipiatur, sed interna etiam prauitas & concupiscentia accusetur, infimuletur, damnetur. Ita præcepta Dei hominem in communione collocant. Quibus & philosophi sapientiores consentanea tradunt: Plato enim sapientiæ & politioris literaturæ laude celebratissimus hominem ἀγελαῖον ἢ κτηνωτικόν quod Tullius exponit, ad congregationem coniunctionemq; & naturalem communitatem natum, esse docet. A qua sententia præceptoris discipulus Aristoteles non discessit, quando ait: τὸ ἄνθρωπος λέγεται, ὅτι αὐτὸς μόνω τῷ ζῳῆ βίον μονώτις, ἀλλὰ ἔργον ἔχει, ἢ τέκνοις ἢ γυναίκεσσι, ἢ ὅλοις τοῖς φίλοις, ἢ πολιτοῖς. Ἐπιπένη φύσις πολιτικὴν ἀνθρώπου: satis autem esse id ipsum per se dicimus, non quod ipsi soli, vitam solitariam agenti, sed quod & parentibus, & liberis & conjugii, & (vt semel dicam) amicis & ciuibus satis est. Quandoquidem homo ad vitam societatemq; ciuilem natus est. Et alibi: πολιτικὸν γὰρ ὁ ἀνθρώπος καὶ σὺ ζῷον πεφυκός. homo enim ciuile animal est, ad societatem vitæ aptum natura. Quid quod ipsa optima omnium rerum magistra generationis sobolis, educationis, institutionis & contractuum experientia idem apud omnium animos testatum relinquit. Certè in infinitum vagatur mutua officiorum communicatio inter homines per totam vitam. Quapropter & hoc theorema, hominem ad societatem esse natum, est fons totius philosophiæ moralis, & doctrinæ iurisperitorum. Manifestum igitur hinc est, hominem non ad solitudinem, sed ad societatem; non ad secessum, sed hominum cætum: non ad indigentiam, sed ad frequentiam: non ad inopiam, sed eorum copiam esse creatum. Verum enim verò primam hominis societatem cum Deo esse iuxta ordinem decem verborum huius piæ ac scienter statuitur. Etenim cum naturalis causæ & effecti sit copulatio, & Deus illud αὐτὸς ἄρχειον, αὐτόκαλον, αὐτάρχαθον causa hominis existat, homo verò ipsius effectum, totum hominem à Deo pendere, & illum ad huius voluntatem se conformare debere in medio positum est.

In pri



In primis cum homo imaginem Dei creatoris referat, cuius summa est perfectio, & pulcritudo congruere cum archetypo. Ne dicam quod finis hominis idem luculentissimè arguat. Siquidem ille, ut vel ethnicus orator admodum præclare id docet, conditus est ad Deum contemplandum, & imitandum. Vnde inferre licet ad societatem conditos esse homines, ut in eorum frequentia luceat noticia Dei, ut Deus agnoscat, invocetur, & celebretur, alijq; ab alijs ea doctrina imbuantur, quæ aditum ad æternam læticiam, & Dei consuetudinem aperit. Quod cum sine cætibus docentium & discipulorum fieri nequeat, prima constitutionis scholarum causa fuit, vera perfectaq; essentiæ Dei & voluntatis noticia, ne de his homines dubitantes, errantesq; , ut regina illa Euripidea, invocent.

2. de natura Deorum.

Euripid: in Troad.

ὦ γῆς ὄχημα καὶ τῆς γῆς ἔχων ἔδραν  
 ὅστις ποτ' εἰ δυνάστης εἰδέναι  
 Ζεὺς εἴτ' ἀνάγκη φύσεως, εἴτε ἤ βροτῶν  
 προσεζάμην σε:

*O terra vehiculum & in terra habens sedem,  
 Quicumq; tandem es impervestigabilis Iupiter:  
 Sive es necessitas naturæ, sive mens quædam humana,  
 Te invoco:*

Sed in studijs cognitionis Dei, & pietatis integrè, iusteq; versentur. Etenim per necessarium fuit, quasi de manu in manum perspicuum veræ invocationis in Ecclesia, & falsæ seu idololatricæ in posteritate Cainica, quæ secessionem à pijs fecerat, discrimen tradere. Qua de re & hoc mandatum Deus patribus dedit: ponite corda vestra in omnia verba mea, quæ ego testificabor vobis hodie, ut mandetis ea filijs vestris custodire, & facere ac implere universa quæ scripta sunt in volumine legis. De qua & psalmus ait: Suscitavit testimonium Iacob, & legem posuit Israel, quam mandavit patribus nostris, ut nota facerent ea filijs suis, ut cognoscat generatio altera. Filiis autem

Deut. 32.

77.

loco





*Deut. 32.* loco antea citato ita præcepit: Interroga patrem tuum & annuntiabit tibi: maioresq; tuos & dicent tibi. ubi secunda causa deprehenditur, necessitas propagationis doctrinæ de Deo, qua ad posteritatem transmittatur. Hæc à me non temerè dicta, sed necessariò à Deo illa esse facta ut videatur, vestris, quæso, cogitationibus ( quæ quamvis regionem amplecti, & in ea situm loci ad suum arbitrium fabricari possunt ) cogitationibus, inquam, fingite alicuius horti optimis quibusq; arboribus consiti amœnitatem. Si vestris animis hanc finxistis, aspiciate arbores, aspiciate pulcherrimos fructus, aspiciate generosa fructuum genera. Atqui hæc omnia nonne vetustate, nisi teneræ plantæ succrescant, consenescent? nonne interibunt? nonne ad nihilum tandem recident? Nemo, opinor, vestrum est, qui hoc negabit. Hinc, quæso, cogitationes, in quibus defixi estis, ad Ecclesiam Dei convertite: quæ licet viris omnigenij, virtutis & doctrinæ laude illustribus fulcita & firmata sit, quorum labor fructuosus est, nonne tamen, nisi furculi scholarum *φύτλας* insiti colantur, ruinam edet? nonne vastabitur? nonne tandem funditus peribit? Profectò & hæc firma vestrum omnium assensione comprobantur. Hinc accedit & hæc causa, quod in cœtibus hominum doctrinam de creatione omnium rerum ac vera calamitatum mortisq; origine inculcari oportuerit, quæ cæteroqui in dubitationem adducta perniciosissimum errorem creant. Quid enim philosophi tantarum rerum ignari docent? nonne *επιπορευ* inducunt? nonne inscitiam in perniciem vocant? Quid de pulcherrimo totius mundi systematis ordine tradunt? nonne dubitant, & fallacissimè se studiosis veritatis venditant? Quid de tam mirabili rerum serie & continuatione, tam raris siderum cursibus, stasisq; redivisibus, *ἠγνοῦς ἐννοῖας*, consignatis in animis notionibus sempiterna specierum conseruatione, & similibus, nonne ambigunt? nonne alijs fraudem faciunt? Quid de tanta in genere humano confusione & perturbationibus, tanta scelerum & vitiorum



tiorum colluvione? nonne inscitè nugantur, & alios decipiunt? de quibus omnibus cætus electorum divina voce edocetur. Postquam verò Deus in Ecclesia semper vult extare libros propheticos & Apostolicos, his scriptis mentes hominum regi, & accendi noticiam ipsius, quod sine studijs linguarum, quibus doctrina de æterna nostra salute, tanquam involucris tegitur, & velis quibusdam obtenditur, liberalium doctrinarum ac philosophiæ fieri nequit, & hæc constitutionis scholarum causa fuit, vt alij alios literas docerent, quarum cognitione instructi divinum sermonem enarrarent, & interpretarentur: ingenuæq; artes, quæ sunt fontes bonorum, & in vita utilium rerum, ad multa secula usq; propagarentur. Adipiscuntur enim mortales ex literis humanioribus insignia emolumenta, nempe cognitionem siderum motus, anni rationem, qua si essemus destituti, nulla foret temporum distinctio, nullaq; certa series, quæ est clarissimum omnium historiarum lumen: supputationes in contractibus ad conservandam justiciam commutativam: curationes morborum, quas Syracides omnibus egregiè commendat. Quid quod literæ, monstratis *cap. 38.* sacrae scripturæ & philosophiæ fontibus, ostendunt locum, magnæ his tristissimis temporibus sterilitatis solatium, ad quod mentes conversæ acquiescant. Quippe scholæ sunt locus ille & rus poëticum, in quod justitia aufugisse fingitur: ubi sunt vomeres, sunt aratra, sunt cylindri, sunt occæ, sunt rastra, sunt falces, quibus aratur, iteratur, coæquatur, feritur, occatur, metitur: Scholæ, inquam, sunt illud rus & campus fertilissimus, ubi copiosissima divinarum rerum ac omnium bonorum seges surgit, quæ pascit, saturat, & lætificat universas orbis terrarum regiones. Quod enim est, quæso, plantarium paradisi Dei? nonne schola? Quod seminarium, quis collis, in quo plantulæ succrescunt, quibus in montes domini translatis Ecclesia Dei augetur, & conservatur,? nonne schola? Quæ est illa officina ex qua viri prodeunt, qui rempublicam capeffunt, & gubernacula

C

cula





cula rerum tractant? nonne schola? Quæ domus honestatis & virtutum studijs consecrata est? nonne schola? Quod delubrum commercij, quod cum musis habetur, id est, cum humanitate, & doctrina constituitur? nonne schola? O beatissimus illius plantarij locus schola: ô fructuosissimum seminarium schola: ô elegantissima officina schola: ô domus pulcherrima schola: ô delubrum Musarum sanctissimum.

*Genes. 2.*

Decurso iam nostræ viæ spacio ad secundum pergeamus, in quo illustres veteris & novi testamenti scholas animo ac ratione lustrabimus. In rerum primordijs cum homo ad imaginem Dei creatus esset, quoad in illa integritate permanens augustissimum innocentia decus conservabat, in perfecta rerum cognitione viguit, unde cuilibet, ut scriptura docet, animantium secundum naturam & proprietatem nomen imposuit, cui Deus peculiare præceptum dedit, de arbore cognitionis boni & mali: quod nisi violasset, procul dubio cum suis prope eandem in paradiso veræ voluptatis & deliciarum horto convenisset, ac ibidem iuxta ac in Ecclesia vel schola illos de rebus divinis, de essentia & voluntate Dei creatoris docuisset: Ac sic augustissimum Ecclesiæ, seu scholæ argumentum fuisset, locus cognitionis boni & mali. O verissimum ante lapsum hominis scholæ nomen: ô pulcherrima augustissimæ rei nomenclatio: ô præclarissimum illustrissimi loci symbolum. Post lapsum verò Adamus accepta prima Evangelij in paradiso promissione, non modò suis de illa concionatus fuit, sed etiam, postquam Cainus cum sua familia secessionem fecerat, corruptelam illius dogmatis, ac quomodo hoc fugere, verisq; ac solidis rationibus refutare discerent, monstravit, quod in scholis in minimis ponendum non est. Quam ob causam & Deus ante mundi diluvium patriarchis non exiguum vitæ curriculum circumscripsit, sed longinquitate produxit, ut auditores à *Ἰοπίστος* haberent, ut non solum integram de promissione doctrinam conservarent, sed etiam Caini depravationes repref-  
las tol-



fas tollerent, ac illorum animos documentis ad id necessariò  
 referendis inquisitionis rerum physicarum, virtutum, aliarumq;  
 bonarum rerum & in primis mathematicum, ut ex Iosepho videre  
 licet, adaugerent. Quod idem & de Setho loquens testatum  
 facit, quando ita scribit: Hic ubi eò ætatis venit, ut iam quid  
 rectum esset, discernere valeret, virtutis studijs se totum dedi-  
 dit, & cum vir optimus evasisset etiam nepotes sui imitatores  
 reliquit. Qui quoniam erant omnes bona indole præditi, &  
 patriam absq; seditione incolebant, in perpetua felicitate vitam  
 exegerunt, sapientiamq; cælestium rerum atq; ornatum ani-  
 madverterunt. Ne autem hæc inventa, ex hominum noticia  
 dilaberetur, ac prius perirent, quam pernoscerentur, cum Ada-  
 mus universalem rerum interitum fore prædixisset, unum in-  
 cendio, diluvio alterum, erexerunt duas columnas, unam la-  
 teritiam, alteram lapideam, & utriq; sua inventa inscripserunt,  
 ut si illam diluvio deleri contingeret, hæc superstes hominibus  
 discendi facultatem faceret, & quæ inscripta continebat, spe-  
 ctanda exhiberet. Ajunt enim lapideam illam ab illis dedica-  
 tam, quæ & nostris temporibus extat in Syria. Hæc ille de sin-  
 gulari studio, & laudabili industria, de vehementi amore patri-  
 archarum erga philosophiam & in primis mathemata ante dilu-  
 vium. Vbi cum hæc Deo ipso penè docente Hebræis tradita  
 legas, nunquid cum aliæ disciplinæ tum etiam logica facultas  
 animali logico divinitus inspirata à patriarchis quin exculta sit,  
 dubites? cum idem ex Eusebio pateat, qui scribit: ejus exerci-  
 tationes non in putidiusculis, scholasticis & sophisticis de ar-  
 te ipsa contentionibus apud Hebræos fuisse, sed in explicatio-  
 ne historiarum, in compositione canticorum & poematum,  
 ænigmatumq; enodatione constitisse. Cæterum studium pa-  
 triarcharum in exercitatione doctrinæ cælestis celebrat Moy-  
 ses Θεούητης ille, quando refert: quod Enos cœperit invocare  
 nomen domini Dei, hoc est, prædicare, publicè profiteri, glo-  
 rificare & celebrare: Quo eum primum statuere videtur, qui  
 nomine

lib. 1. cap.

4.

lib. 1. cap.

3.

de prepa-

rat. Evan-

gel.

Genes. 4.





nomine Iehouæ usus est, ut medio & argumento rerum pre-  
 catione impetrandarū, quod idem illi fuit, quod nobis est Christus  
 μεσίτης ac sequester unicus. Et de Enocho idem ait: quod cum  
 Deo ambulaverit, hoc est, eius cultui vacauerit, rebusq; divi-  
 nis operam dederit. Quem Ecclesiasticus celebrat, quod Deo  
 perplacuerit, & aliò translatus sit in exemplum poenitentiae ad  
 omnes nationes. Quem Epistola ad Hebræos magnificè prædi-  
 cat, quod ante mortem testimonium habuerit, quod Deo pla-  
 ceret. Hæc sunt testimonia de studijs doctrinarum, & scholis  
 ante cataclysmum evidentissima. Postea verò cætus docentium  
 & discipulorum collectos fuisse Noachus nobis testimonio est.  
 Quem quia scriptura hoc præconio prosequitur, quod gratiam  
 coram Deo invenerit, vir iustus & perfectus in generationibus  
 suis fuerit, ac secundum Deum ambulaverit, cui studium, quo  
 suos de essentia & voluntate Dei, alijsq; bonis rebus fideliter e-  
 rudivit, in dubium vocaretur. Siquidem Apostolus Petrus eum  
 κήρυκα δικαιοσύνης præconem iusticiæ appellat. Et epistola ad  
 Hebræos hoc amplissimum ipsi elogium tribuit, quod institu-  
 tus sit κληρονόμος τῆς κτ' πίστεως δικαιοσύνης, hæres iusticiæ, quæ per  
 fidem est. Suppeditat & hoc evidens nobis constitutionis scho-  
 larum argumentum, quod cum Deus tempore exædificationis  
 turris babilonicæ linguas confunderet, primaria Hebræa, qua  
 cum Deus ipse ab initio mundi cum hominibus locutus est,  
 tum omnes patriarchæ ante diluvium usi fuerunt, in familia  
 Eberis manserit. Quod sanè absq; scholis, in quibus linguæ  
 conseruantur, ac docentur, minimè fieri potuisset. Verum enim  
 vero, ut tacitas prætereamus scholarum constitutiones singulo-  
 rum patriarcharum, Abrahami hac in re laudes cum mundi se-  
 necta propè senescentes ab oblivione hominum atq; silentio  
 vindicandæ: Abrahami industria celebranda: Abrahami in  
 hoc vitæ genere, diligentia, officium & fides commemoranda  
 est. Qui cum quondam in Aegyptum migrare cogeretur, Iosephi  
 relatione constat, quod permissu regis Pharaonis cum  
 viris

cap. 5.

cap. 44.

cap. 11.

Genes. 6.

2. epist.

cap. 2.

cap. 11.



viris ibidem plurima doctrina excultis disputaverit, & falsita- *Ioseph. 1.*  
tem, quæ ipsorum animis penitus infederant, opinionum ita *lib. antiq.*  
arguerit, ut apud omnes homo doctissimus, & disertissimus *cap. 9.*  
habitus fuerit, & ut professor AEgyptios in arte Arithmetica  
& Astronomica instituerit. Quo Iosephi testimonio ostenditur  
doctrinas liberales & artes illis ignotas, à patriarchis primum in  
eorum regionem invec̄tas fuisse. Quod & psalterium regij *Psal. 105.*  
prophetæ Davidis comprobat de Iosepho commemorans,  
quod illum rex AEgypti dominum domus suæ constituerit, ac  
principem omnis possessionis suæ ad erudiendum principes &  
seipsum, ut senes sapientiam doceret. Et Pythagoras, ut Trogus  
tradit, in AEgyptum profectus ab eius sacerdotibus ceremoni-  
as, potentias numerorum, ac solertissimas Geometriæ formu-  
las, à Chaldæis Astronomiam, stellarum status, ambitus & effe-  
cta didicit. Quas artes ab illis perceptas postea secum in Ita-  
liam transportavit, & ibidem circiter sexagesimam olympia-  
dem, quæ incidit in annum mundi ter millesimum, quingen-  
tesimum vigesimum quintum singulari cum laude, ac maxima  
auditorum frequentia docuisse dicitur. Sic scholas à patriar-  
chis in Ecclesia Dei docentibus originem traxisse manifestum  
est. Atqui cum filij Israel in AEgypto à vera doctrina & reli-  
gione ad detestabiles ac idololatricos cultus se convertissent,  
de quibus apud prophetam Ezechielem querimonie habentur,  
Deus ut veram doctrinam ex omni depravatione, corruptela,  
& vanis opinionibus in pristinam puritatem vindicaret, Moysen  
omnibus AEgyptiorum disciplinis excultum, ut in actis Apo- *cap. 7.*  
stolicis de ipso scribitur, excitavit, in cuius politia ad taberna-  
culum, ut vocabatur, classes sacerdotum, & Levitarum consti-  
tutæ fuerunt, non solum ut ibi mactarent pecudes, sed multo  
magis ut legem populo enarrarent, animis ambigentibus re-  
sponderent, dogmatumq; controversias iudicarent. Sicut Deu- *cap. 17.*  
teronomion Moysis cōtroversias ad sacerdotes leviticos, & lo-  
cum tabernaculi, ne arbitrio potentum, sed lege divina dirime-  
rentur,



rentur, referri jubet. Quocirca & Moyses Dei jussu per universam regionem quadraginta octo civitates Levitis, quorum tribus ad illud sacerdotium electa fuit, assignavit, ut in illis scholæ constituerentur, in quibus & Levitæ juniores ad illud munus subeundum educarentur, & homines ex aliis tribubus rectè instituerentur. O institutum, ad cujus memoriam nostri animi sæpè ut excitentur, dignissimum: ô res sempiternæ hominum memoriæ commendatissima: ô religiosissima tot civitatum consecratio. Præter illas autem 48 scholas particulares, seu pædagogia, ut nobis loqui in more positum est, à Moysè fundata, Deus eo loco, ubi arca foederis servabatur, aliam scholam doctiorem, seu Academiam constituit, cui summum sacerdotem rectorem præfecit. Sic legitur Samuel puer à parentibus Deo devotus, ut in ipsius domo educaretur, & in fidelem Domini prophetam evaderet. Qui deinde & ipse inclytam scholam *Βεθλὴμ τῆς θεῆς* gubernavit. Ut enim templum montis domini, ita schola collis vocabatur, ex quo ille adauctus, conservabatur. In quas scholas & reges filios suos, ut à prophetis & sacerdotibus erudirentur, tradiderunt. Sicut David Solomonem scholæ ac institutioni Nathan prophetæ commisit. Qua ratione & Ioas à summo sacerdote Ioiada educatus legitur. Etenim in veteri testamento cum traditiones commentitiæ, cultusq; idololatrici irrepsissent, & veram doctrinam depravassent, scholæ prophetarum à Deo excitatorum clarissimum hominibus in magnis errorum & inscitæ tenebris versantibus lumen prætulere, illosq; ab his ad integritatem veræ religionis, & sanitatem averterunt. Sic Ieroboam rex impius, sub quo propheta Achias Silonites floruit, cum consilium mutandæ religionis omnium hominum vocibus vituperandum iniret, vitulos aureos in duobus regni finibus erigeret, diesq; fastos & adorationes, pijs sacerdotibus in exilium actis, institueret, Deus per scholas prophetarum veram religionem, & cultum sui instauravit, quorum discipuli filij prophetarum dicti

1. Reg. cap.  
1.

2. Reg. 12.

4. Reg.  
cap. 12.

3. Reg. cap.  
13.

4. Reg. 2.



dicti fuerunt. Quibus in scholis præter doctrinam verbi diuini  
alias etiam disciplinas propositas fuisse inde manifestè depre-  
henditur, quod rex Salamon sapientiæ laude celeberrimus <sup>3. Reg.</sup>  
scribitur multos doctos professores sibi adjunctos habuisse, & <sup>cap. 4.</sup>  
de varijs arboribus, herbis, jumentis, volucris, reptilibus, &  
piscibus disseruisse. Ex qua schola postea Hierosolymis septua-  
ginta duo viri linguarum peritissimi ad regem Aegypti Pto-  
mæum Philadelphum, ut biblia ex Hebræorum lingua in græ-  
cam transferrent, missi fuerunt. Inde & pastores Ecclesiæ Dei <sup>cap. 7.</sup>  
vocatos fuisse testatum facit excusatio prophetæ Amos. Qui  
cum demonstrare vellet, se peculiari modo ad vaticinandum  
vocatum esse, ait: Non eram propheta, neq; filius prophetæ,  
sed caprarius eram vellicans Sycomoros. Achiam tempore Alæ  
Hanania secutus est. Deinde excitatus est Elias, qui populum  
Israeliticum circiter viginti annos veram religionem, & cultus  
Dei docuit. cuius doctrinas Deus quoq; insignibus miraculo-  
rum testimonijs confirmavit, quem coetum discipulorum sibi ad-  
junctum habuisse dictum domus eius, hoc est, scholæ de sex  
millibus annorum mundi testatur: sex millibus annorum dura-  
bit mundus, postea destruetur: duo millia inane: duo millia  
lex: duo millia Messias: Ac si qui anni deerunt, propter pecca-  
ta nostra deerunt. Elias autem cum diu res maximas gessisset,  
antequam à Deo in coelum vectus est, successorem discipulum  
Dei iussu Helisæum delegit, qui ab illo spiritum fortitudinis, di- <sup>3. Reg.</sup>  
lectionis, ac modestiæ petijt. Sunt quidem præceptoris res in <sup>cap. 19.</sup>  
scholastico vitæ genere gestæ omnibus celebrationibus dignæ, <sup>4. Reg.</sup>  
neq; tamen discipuli Helisæi facta illis inferiora, videntur obli- <sup>cap. 2.</sup>  
vione conterenda, sed perpetua memoria repetenda: non si-  
lentio prætereunda, sed omnibus rationibus prædicanda: non  
taciturnitate obtenebranda, sed omnibus præconijs & laude  
prosequenda. Hic enim annos circiter septuaginta non solum  
præcipua regni consilia gubernavit, sed etiam scholarum ope-  
ras sustinuit. Cum eum magna frequentia & assiduitate passim  
discipu-



4. Reg.  
cap. 2.

4. Reg.  
cap. 4.

lib. antiq.  
6. cap. 12.

discipulorum agmina sectarentur. De quo & sacris literarum monumentis consignatum legimus, cum in prima visitatione scholæ, quæ fuit in Iericho, aquas coniecto in earum scaturiginem sale sanasse, ita ut postea locum mors & omnis sterilitas deseruerit. Sal autem fuit verbum Dei, quod mortem & omnes pestes aufert, ac vivificat, sine quo omnia mortua sunt, & sterilia, omnia inutilia: cum quo omnia viva, omnia fructuosa existunt. Legimus & de eodem propheta & pædagogiarcho, quod in visitatione in Gilgal coniecta in ollam coctionis colocynthidum agrestium farina magnam filiorum prophetarum frequentiam pauerit. Ita hic scholas inuisit, & ut multi educarentur curavit, qui Ecclesiæ apud posteros rectè consulerent. Helisæo successit Ionas, quem filium fuisse mulieris Sareptanæ ab Elia ex morte revocatum arbitrantur. Deinde abductis decem tribubus Esaias in Iuda successit, qui docuit annos circiter octoginta, & regnum maximis calamitatibus, & ingentibus bellis liberavit. Nam quilibet propheta habet insigne aliquot *πλιτδμα*. Huic autem doctori *συγγρηγοι* fuerunt, Oseas, Obadias, Amos & Micheas, cuius tempore & Ioëlem concionatum fuisse Hieronymus existimat. Sicut sub Iothan & Nahum claruisse Iosephus narrat. Postea verò excitatus est Ieremias, qui annos circiter quadraginta concionatus est. Cujus *πλιτδμα* in specie quidem triste, sed tamen salutare fuit. Siquidem hortatu deditiois faciendæ reliquias gentis servavit, cum alij depulsis hostibus populo salutem retinuissent. Quam ob causam cum malè apud plerosq; audiret, Deus in exilio babilonico Ezechielem excitavit, qui populum captum consolaretur, & contra falsos, qui Ierosolymis erant, prophetas vaticinium Ieremiæ confirmaret. Nunquid hic scholas defuisse putas? Num cum populo etiam optimarum rerum studia in fordibus & luctu jacuisse existimas? nunquid nullum hic docendi vestigium apparuisse opinaris? Profecto nemo rationis compos hanc mente opinionem comprehendere potest. Cum enim Iu-



nim Iudaici reges non alerent doctores, alunt Babylonici. Danielem enim cum sodalibus per triennium artes & linguas Chaldæorum jussu regis Nebucadnezaris didicisse legimus. *Dan. 1.* Quanquam autem rex eo facto commolitus fuit, ut Daniel ab agnita suæ religionis veritate descisceret, ac se ad vanas Chaldæorum superstitiones converteret, consilium tamen tam malitiosum, tam fraudulentum, tam dolosum hunc eventum habuit, ut Israelitarum doctrina in Chaldæorum scholam influxerit, doctoribus eius penitus innotuerit, ac tanta longinquitate ad posteros producta fuerit, ut annis quingentis post ex schola Danielis Magis in oriente de rege, qui Iudæis nasci deberet, constiterit. Danielis autem studium & doctrinam, & quam in scholastico vitæ genere consecutus est, laudem, ut cognoscamus, ipsum quæso è beatissimo justorum cubiculo evocemus. Quod si fiet, sic loquetur, ac sic de discipulorum majestate, ac excellentia verè gloriabitur. Ego non solum subditos, sed etiam augustissimos reges sapientiam & virtutes docui: Ego summum Assyriorum regem Nebucadnezarem verè religionis noticia instruxi: Ego maximum Babylonix regem Evilmerodachum erudivi: Ego illustrissimum Medorum regem Darium institutione formavi: Ego potentissimum Persarum Monarcham Cyrum doctrina expolivi. Ita auditis Danielem de labore suo scholastico se meritò jactantem. Quem enim virum ex omnium ætatum ac temporum memoria invenies, qui tantos heroes discipulos habuerit? Post *ἄλωσιν* autem istam Babylonicam, cum civitates illæ selectæ & Leuiticæ non amplius ad dictum usum reservarentur, earum loco in ciuitatibus & oppidis totius Iudææ synagogæ constitutæ fuerunt. Quo tempore Esras rector scholæ fuit, qui libros Mosaicos publicè interpretatus est, sacra, dies festos & disciplinam restituit, superstitionumq; gentilitatem extirpavit. Postea Nehemias extitit, qui sabbatum religiose coli jussit, & alia salutaria de optimis rebus præcepta tradidit. In qua administratione cum hi  
D vitam



vitam posuissent, successit Simon Oniæ filius pietate ac vitæ innocentia laudatus, quem Syracides celebrat, quod gentem suam à pernicie liberavit, quem ut stellam matutinam in medio nebulæ, & quasi lunam plenam iu diebus suis luxisse, & quasi solem in templo Dei effulsisse ait. Deinde paulò ante Maccabæorum tempora, cum pontifices certarent inter se ambitione, emerent pontificatum à vicinis regibus, doctrinamq; negligenter, quanquam collapsis scholis magnum vulnus accepit religio, voluit tamen Deus superesse aliquas reliquias, & per Maccabæos doctrinam restitui. Licet autem post hos creverit impudentia in populo Dei, & repudiatis prophetarum monumentis sectæ Pharisæorum & Sadducæorum extiterint, qui multa dogmata commentitia invexerunt, quibus integritas cultus divini ad maximam perniciem vocata fuit, tamen ulq; ad excisionem templi secundi Ierosolomytani semper viros in liberalissimarum artium studijs, doctrinisq; versatos scholis præfectos fuisse libelli Iudæorum Chronici (ut Galatinus scribit) testantur. Hi fuerunt colles montium domini in veteri testamento: Scholæ, inquam, fuerunt, in historica antiqui fœderis narratione potissimum observatæ. Quas postquam animo perlustravimus, & scholas in novo testamento celebratas contemplabimur.

cap. 22.

Quanquam tempore Christi nascituri celebres Hierosolymis scholæ fuerunt, ut Evangelica narratio docet de Simeone & Pharisæis, quod suos habuerint discipulos, & in actis Paulus commemorat, se ad pedes Gamalielis legis doctoris diligenter in patria lege institutum esse, tamen scholarum novi fœderis initium à Iohanne baptista ducemus. Qui cum esset *ἠγέρωνος* Christi salvatoris, & vox clamantis in deserto, dirigite viam Domini, quem parens Zacharias prophetam altissimi appellat, eundem multos auditores & coetus discipulorum in doctrina Evangelica erudivisse, res minimè dubia est. Nam & illud historia de duobus eius discipulis ad Christum missis quaesitum

Luc. 1.



situm an Iesus esset Messias, ostendit. Hunc ipse Christus, nuem digito ille monstravit, secutus est. Sint sanè, quas hactenus commemoravimus, scholæ præclaræ, sint illustres, sint laudabiles, sed cum hujus synagoga in æqualitate non ponenda. Quibus enim, ô Christe salvator *κύριε τῶν γνώσεων*, verbis immensum tuum amorem erga auditores vera doctrinæ cælestis cognitione imbuendos exprimemus? qua ratione tuam fidem & assiduitatem hoc in genere celebrabimus? quibus illius tui studij eventa laudibus prosequemur? Tu enim unica *Esai. 53.* humani generis salus, qui scientia tua multos justificas, puer duodecim annorum scholasticos coetus non improbasti, sed tua disceptatione cohonestasti: Tu illam celebritatem non damnasti, sed plurimum ornasti, cum parentibus responderes: *Luc. 2.* an nesciebatis, quia in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse? Tu ostium scholarum tuum os constituisti: hoc aperiens salutariter auditores docuisti: Tu publicè officium usurpans publicos concionum conventus egisti, qui solidam tuæ doctrinæ scientiam consequerentur, & postea Apostolorum munus sustinere possent: Tu septuaginta alios electos instituisti, donisq; *Luc. 10.* miraculorum auxisti, qui operarij in messem tuam missi fuere. O beatissimæ tanto præceptore scholæ: ô augustissima earum consecratio, non à creatura, sed à creatore: non ab homine doctore, sed ipso salvatore: non à Mystagogo, sed ab ipso Christo facta. Quanquam autem Apostolos non ex synagogis & celebrioribus scholis, quarum eo tempore multæ Hierosolymis constitutæ fuerunt, vocavit, sed homines imperitos, omnisq; doctrinæ rudes delegit, tamen historia Evangelica docet, quod illos, quos in Apostolorum numero repositurus erat, non à retribus abductos statim ad docendum miserit, priusquam auditi, & instituti essent, sed secum usq; ad annum quartum detentos docuerit, & de rebus salutaribus erudiverit. Deinde tanti præceptoris Christi vestigijs discipuli Apostoli insistentes, fideliter veram de pietate, cultu religionis, & divina sapientia doctrinam in



*lib. 3. cap. 30.* nam in scholis traditam ad posteros propagarunt. Sic de Iohanne Evangelista & Apostolo Nicephorus refert, quod celebri semper scholæ præfuerit, ex qua multi doctrinæ laude insignes viri prodierunt: quales fuerunt Papias Hieropolitanus Episcopus, Polycarpus Smyrnensis, & Ignatius Antiochenus. Sic Apostolus Christi Petrus discipulum Marcum sibi adjunctum habuit, qui postea Evangelicam, ut in schola D. Petri eam perdidicerat, historiam conscripsit, ut ex Eusebio patet, qui ex Papias hæc refert. Sed quis scholasticas Pauli Apostoli operas, qui præclarissimum à Deo ipsi tributum titulum gestavit, quod esset *σκευος εκλογης* vas electionis, ut portaret nomen eius coram gentibus, regibus, & filiis Israel, hic silentio præteriret? Quis non divinis laudibus ornaret? Siquidem hic mirando modo ad Deum conversus continuo in synagogis Damascenis

*Act. 9. 13. cap. cap. 14.* Christum docuit: Hic Hierosolymis nomen domini professus celebravit: Hic in Ecclesia Antiochena Doctor gentium electus in Cypro, ut Salamina Iudæorum schola, verbum Dei prædicavit: Hic apud Paphios eò proconsulem insulæ P. Sergium miraculo, ut doctrinæ veritatis fidem tribueret, adduxit: Hic eruditissima concione Antiochenis Iudæorum synagogis Pisidiæ, & gentibus Christi notionem aperuit: Hic Iconij Phrygiæ lucem salutaris doctrinæ accendit: Hic in celebribus Lycaoniæ urbibus Evangelium gratiæ Dei propagavit: Hic Pergæ in Pamphilia homines veræ religionis cognitione imbuit: Hic in Syria & Cilicia Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum, & Seniorum, confirmavit: Hic Philippis Macedoniae viam salutis annunciavit: Hic Thessalonicae in Synagoga de scripturis disseruit: Hic Berrhoeæ Christi causam egit: Hic Athenienses noticia verbi instruxit: Hic Corinthi in Synagoga disputavit: Hic Ephesi cum Iudæis sermonem de verbo contulit: Hic Galaciam regionem, & Phrygiam docendo peragravit: Hic Troade sermone in mediam usq; noctem protracto de doctrina disceptavit: Hic Meleti

*Act. 18. Act. 20.* consili-



consilium Dei exposuit: Hic coram rege Agrippa suæ fidei & *Act. 26.*  
 doctrinæ confessionem edidit: Hic Romæ fidenter salutare *Act. 28.*  
 Dei notum fecit. Ita Paulus coram gentibus, ita coram regi-  
 bus, ita coram filijs Israel nomen Domini portavit. Philippus  
 autem in Iudæa Evangelium docuit: & Azoti Lyddæ, Assaron,  
 Ioppe, & Cæsareæ Ecclesiam collegit. Sic & reliqui discipuli  
 eodem docendi verbum officio functi sunt. Etsi autem id tem-  
 poris erant Apostoli, erant Prophetæ, erant doctores, & Ev-  
 angelistæ, qui munia ministerij optimè sustinere possent, ta-  
 men & scholastica institutione posteritati consulere voluerunt.  
 Quapropter D. Apostolus suum Timotheum bonum deposi- *2. ad Ti.*  
 tum custodire per Spiritum sanctum jubet, ac consuetudinem *moth. 1.*  
 instituendi alios ei commendat, ubi inquit: Quæ audisti à me  
 per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui e-  
 runt idonei, ut alios quoq; doceant. Post Apostolorum au-  
 tem tempora, ut scholæ conservarentur ad conficienda, in qui-  
 bus antea præceptorum vestigia impressa erant, curricula, ho-  
 rum discipuli partes docendi susceperunt. O res omnibus  
 pijs hominibus quàm gratissima: ô res ad confirmandas men-  
 tes quàm utilissima, scire veteres Apostolorum quasi per manus  
 traditas sententias: scire per quos autores doctrina propagata  
 fuerit. Ita de beati Iohannis discipulis, quorum jam antea  
 mentio facta est, Papiæ Hieropolitano, Polycarpo Smyrneni, *cap. 36. &*  
 Ignatio Antiocheno historia Ecclesiastica prodidit, quod sua *39. Actri-*  
 doctrina celebritatem sermonis hominum consecuti fuerunt. *part. lib.*  
 Sic Marcum Apostoli Petri discipulum primum in Aegyptum *10. cap. 9.*  
 missum ibi Evangelicam historiam à se compositam tradidisse,  
 primumq; Ecclesias Alexandria constituisse Eusebius refert. *lib. 2. cap.*  
 Vbi & scholam Ethnicam per eundem in Christianam commu- *16.*  
 tatam esse consentaneum est. In qua postea eruditione & vir-  
 tute illustres viri Pantænus, Clemens, Origenes, Heraclas,  
 Dionysius animos discipulorum non solum Philosophicæ, sed &  
 Catecheticæ verbi divini doctrinæ cognitione imbuerunt.



*Euseb. lib.  
5. cap. 10.*

Quapropter & ex hac schola celeberrimi doctores, Eusebius, Emissenus, Cæsarius, Basilius, qui illam pulcherrimam doctrinæ universæ officinam nuncupat, prodierunt, & Pastores ad vicinarum regionum Ecclesias missi sunt. Sic divorum patrum ætate non tantum Ecclesiæ salutem Episcopi, Sacerdotes ac Diaconi paruerunt, sed & doctores juxta eam scholas gubernaverunt, quæ postea viros ministerij munia sustinentes subministrarunt. Proinde quis tuam ô Cæsarea scholam tacitus præteriret, in qua Theodorus, & Anthenodorus animis à Philosophorum commentis, ad veræ fidei doctrinam traductis tanto studio, diligentia & attentione Origenem quinquenni-um audiverunt, ut statim ad sublimes, ac augustos inde episcopatus honores ascenderint? Quis tuam ô gloria mundi Roma scholam silentio prætermitteret? Quam Iustinus Martyr, extirpatis opinionis humanæ sapientiæ inventionibus, studijs doctrinæ cælestis veritatis instruxit, ac gloriosè ornavit. Quis tuos in hoc vitæ genere, ô Basili, labores reticeret? Quis tuam, ô Nazianzene in scholarum salute fixam operam intactam relinqueret? Quis tuam ô dive pater Augustine diligentiam oblivione contereret? Vos enim loca ab aditu & strepitu hominum remota selecta scholis consecratis: vos in illis conventus egistis: vos non de rebus sophismatum futilibus, sed utilibus disputastis: Vos in cælestium rerum interpretatione animum occupatum habuistis. Sit faustus vester labor: sit felix opera: sit prospera diligentia: sit beata secessio. Quanquam autem horum exempla & multi alij divinitus excitati viri secuti sunt, & collegia constituerunt, tamen ea injuria temporis, & bellicis tumultibus dissipata & eversa sunt. Quapropter cum reliquæ Ecclesiæ, quantulæcunq; illæ erant, bonarum artium opem desiderarent, collegia canonicorum, & monasteria, condita fuere, ut essent *παιδείρια καὶ φρονήσια*, in quibus optimarum rerum ac literarum studia conservarentur. Tale ô beate Martine tu monasterium fundasti, cui doctrinam à præceptore

*Sozom.  
lib. 6. cap.  
15.*



ptore Hilario perceptam communicasti, quod postea multos optimarum rerum studijs excultos viros Ecclesiæ, & scholis regendis suppeditavit. In tale monasterium quidam Britanus, Congellus, Bannochorensis Angliæ collegium commutavit cujus exemplum Germani imitati sunt.

*Extat apud Bala-  
um.*

Tale monasterium Ratisbonæ extructum fuit, cujus studia eam ob causam maximopere celebrantur, quod inde multi, sicut ex alijs quoque monasterijs prodierunt, qui in exædificatione Ecclesiæ, & integro docendi munere in Germania tuendo omnem diligentiam, curas & operam fixerunt. Sic Ludovicus pius Caroli Magni filius vetus Galliæ monasterium Corbejanum in Germaniam transtulit: & prope flumen, Visurgim monasticam scholam constituit, quæ doctrinæ & virtutis laude celeberrimum virorum alitrix fuit, quibus inde egressis summi officiorum, & dignitatum honores delati fuere. Quo consilio & Ecclesiæ Cathedrales constitutæ, & à gubernatoribus amplissimis dotibus auctæ sunt, ut essent viva sanæ & orthodoxæ doctrinæ, religionis, cultusque Deo tribuendi, exemplaria, quæ vicinæ Ecclesiæ imitarentur. Vnde est, quod Chrysostomus ejusmodi Ecclesiam, cui præerat, cathedram doctrinæ nuncupavit. Quam ob causam & reges in Gallia, & imperatores in Germania ad Christi salvatoris cognitionem vocati templa Cathedralia condiderunt. In quem finem Carolus Magnus illustrissimum illud veræ pietatis erga Deum, ardentisque erga Christianam religionem & Ecclesiam studij: item eximiarum, tantoque gubernatore dignarum virtutum, sapientiæ, justitiæ, fortitudinis, clementiæ ac beneficiæ exemplum in Saxonia illa construxit, & magnificentissimis bonorum largitionibus confirmata ornavit. Hæc tua vita est, hæc tua virtus, hæc tua gloria, ô magne Carole, ô ter maxime imperator, non cum tempore dimissa, sed cum omni posteritate adæquata: quæ omnium seculorum memoria vigebit: quam omnes populi alent: quam ipsa æternitas semper intuebitur. Hujus vestigijs

*Epiphanius:  
contra Aeri-  
um.*

*Homilia  
1. in Iohan.*

*Philip. lib  
4. chron.*



vestigijs cum insisteret, nunquam interituris literarum monumentis celebratissimus heros, Henricus Leo, stirps domus principum Brunovicensium & Lunæburgens. pater ducatus, præter alia, quæ magnificentissimè ab ipso gesta sunt, & quibus urbem Brunovicum amplificavit, firmavit, ornavit, jactis fundamentis Ecclesiam ibidem cathedralem S. Blasij ædificavit. Proinde cum collegia canonicorum, regum, principum & aularum negotijs occupata studia literarum intermitterent, ac monasteria ceremoniarum ordinatione, & Apitij sodalium multitudine onerata, graves & molestas docendi partes simul sustinere non possent, scholæ universales seu Academicæ, quibus illæ imponerentur, exortæ sunt. Quo consilio Theodosius junior Bononiæ in Italia laudatissimam scholam omnium liberalissimarum doctrinarum altricem fundasse, & aperuisse creditur. Sic rex Ferdinandus Neapoli inclytam Academiam, quam rex Alphonsus frequenti visitatione, diligentiq; inspectione fovit, construxisse scribitur. Quam ob causam & laudatissimus imperator Carolus magnus (cujus laudata & benedicta sit iterata mentio) Parisijs in Gallia, Ticini in Italia, Osnaburgi & Reginoburgi in Germania scholas universales constituisse fertur. Quæ ratione & celebratissimus rex Mathias in Pannonia omnem curam, multasq; opes ad scholarum institutionem, cætus docentium & discipulorum conservationem ac bibliothecarum instructionem contulisse memoriæ proditum est. Quo in genere regis majestatis augustissimi Daniæ regni Frederici primi virtus, gratia, benignitas & magnificentia laudatissima sunt, qui pio affectu Ecclesiæ saluti parens Academiam Hafniensem in Copenhagen doctrinæ cælestis custodem, justitiæ sedem, fidemq; omnium humaniorum literarum domicilium extruxit. Quam gloriosissimis pietatis officijs augens postea divinæ gratiæ luce serenissimus rex Christianus tertius majorum decus instauravit. Quapropter & æterna laude efferenda est constitutio Cæsareæ majestatis & ordinum Romani impe

à Pontano.



ni imperij, qua in aurea bulla gravissimo consilio sancitum est, ut singuli electores regni proceres sua magnificentia & opibus Academiam doctrinae coelestis, virtutum, linguarum ac omnium laudatissimarum disciplinarum nutricem alerent.

Quod & maximo Zelo, glorianda cura, celebrandaq; fide ab eorum celsitudine ita confectum esse, ecclesia Dei, schola ac res publica summo cum emolumento sentit. Quorum exemplum cum alijs, tum illustrissimus princeps ac Dominus, Dominus Julius, Dux Brunovicensium & Lunaburgens. imitatus hanc Academiam Juliam aeternum suae erga Deum pietatis, reverentiae & cultus, summiq; erga hominum salutem studij monumentum erexit. Quae innata coelesti favore, & impulsu principum hujus familiae pietas, naturae propensio, & virtus est, quorum beneficentia, quam benigne & laudabiliter erga Ecclesiam & scholas exercent, multi fructi sunt. Quae se & in illustrissimo ac optimo principe ac Domino, Domino Gulielmo laudatissimo Brunovicensium & Lunaburgens. Duce, qui paucos ante menses a negotijs hujus vitae avocatus, & caeteri caelestis Academiae conjunctus est, magnifice & luculenter ostentaverunt. Qui praeterquam quod Ecclesijs & scholis suae ditioris pie & recte ordinatis paterna inspectione & cura attentè prospexit, suo patrocinio, munificentia & liberalitate, ut quidam gubernationis ipsius alumni in Orthodoxis Academijs educarentur, clementer & benefice curavit. Cujus beneficij collationem, & mea studia per quinquennium aluisse humiligratoq; animo agnosco, & praedico. Sit beatissima tam piarum & salutarium institutionum tantorum principum memoria: sit felicissima recordatio: sit aeterna tam augustissimi operis gloria omnibus seculorum aetatibus augenda. Quos dominorum parentum divinos motus, ardorem & Zelum ut Deus in cordibus filiorum principum, ut bonorum fortunae, ita & animi excitet, confirmet, augeat, constans & assidua nobis cum ipso debet esse actio.

E

tertium



Confecto & secundo nostræ viæ spacio ad tertium pergimus, in quo dignitas scholastici ordinis contēplanda occurret. Verissimum est logicorum axioma, qualis causa, tale effectū. Inter hæc enim naturalis quædam *αἴτις*, habitudo & affectio est. Vnde fit ut argumento causæ res vel laudemus, vel vituperemus. Quid igitur fructuosissima scholarū dignitate honestius, quid dignius, quid laudatius, quid gloriosius esse potest? Nunquid enim originem earum ordinationis privato homini tribuimus? Minimè. Humana enim, quæ respicit ac proponit, non habentur. Nunquid politicum magistratum primum earum autorē nuncupabimus? Fieri non potest. Siquidem omnia, quæ tradunt, hujus potestati subiecta non sunt. Nunquid primam earū inventionē Ecclesiæ assignabimus? Nequaquam. Hæc enim rerum ei ordini commissarum custos est, & causa conservatrix non effectrix. Nunquid angelo omni humanæ conditioni multum longeque antecellenti illam bonitatem acceptam referemus? Neutiquam. Nam & ipse *μετέχει κοινωρίας, καὶ ἐπίσημιας ἁθανάσιας* illius consors est. Quem igitur tantarum rerum, tamque divinorum rivulorum fontem aperiemus, quam primam causam constituemus? Profectò non hominem, sed hominum fictorem: non angelum, sed angelorum factorem: non ullam creaturam, sed omnium rerum creatorem. Deus enim est, Deus est, ens illud *αὐτὸν αἰώνιον, ἀπρόγαθον, ὡς τῶν φώτων*, qui in rerum primordijs in paradiso cœlestis gaudij & beatitudinis orto arborem cognitionis boni & mali plantavit: rationem docendi discendi que ordinavit: scholas, scholas, inquam, constituit, & domum suam atrijs circundedit, amplificavit, stabilivit. Etenim in scholis Paradisus Deo præparatur: Salutaribus seminibus conferitur: arbor vitæ colitur: unde originem trahentis fontis salutis quatuor sunt celebres fluvij, Phison *χρυσόφορος*, cujus pretiosa sunt Margaritæ cœlestis thesauri, & berylli divinæ sapientiæ excrementa: Gihon, unde optima æternæ justitiæ munera extrahuntur: Tigris, qui gloriosa integritatis, & ve-

*Plato in politico.*

*Idem in Timæo.*

*Chrysof. panegy. de angelis. Psal. 92.*

*Genes. 2.*



& veræ sanitatis dona sua velocitate fundit: Euphrates, qui dulcissimos omnis scientiæ, & liberalis doctrinæ fructus profert: In scholis locus invocationis Enos consecratur, aræ patrum extruuntur: columnæ disciplinarum ob mundi cataclysmum eriguntur: In scholis familia Eberis linguarum custos alitur: arca fœderis asservatur: divinum æternorum & spirituum honorum depositum continetur. Atqui humanæ sapientiæ doctores dignitatem rerum subjæctæ materiæ ratione æstimandam esse docent, cujus quanta bonitas est, tanti & adjuncti occupati præstantia & valor censetur. Scholastico igitur ordine, quem vitæ statum meliorem, quem fructuosorem, quem salubriorem inveniemus? Olim non sine detestabili superstitione reliquiarum sanctorum hominum illatione certa loca consecrari opinati sunt, quibus eam ob causam maxima reuerentia & honor fuit tributus. Quanta igitur dignitas, quanta excellentia, quanta gloria scholarum erit? In quibus non residuæ alicujus beati hominis partes, sed omnis beatitudinis autoris, sanctitatisq; largitoris reliquiæ depositæ sunt: Immo super quas ipsa Dei facies, cujus contemplatio & lumen omnia alit, omnia fovet, omnia vivificat & sustinet, conversa est. Quibus cunæ & fasciæ Christi salvatoris mundi conclusæ custodiuntur. Sed tantæ sanctimonix & dignitatis quis finis, quis usus, qui effectus? Certè antea celebrati ingentes. Hic enim est ordo vitæ, qui Ecclesiæ Dei episcopos, doctores, inspectores, presbyteros, pastores & diaconos largitur: Hic ordo reipublicæ imperatores, cæsares, reges, principes, comites, barones, nobiles, consules, & alia magistratum genera munerat: Hic ordo œconomix parentes, liberos, dominos, servos, maritos, vxores rectè dispensare docet. Verùm enimverò, quò major salus hominum in his rebus sita est, eò crudelior rabies & insultus Diaboli sentitur, scholas mille artibus, fraudibus, dolis ac præstigijs destruentis: machinationesq; ac insidiæ hostium Ecclesiæ isti adhærentium, qui easdem

E 2

imma-



immani odio persequuntur, varijs modis affligunt, contumelia afficiunt, maledictis ac probris, ut in omnium offensionem incurrant, vexant. Etenim ut reipublicæ literariæ fundamenta evertant, auctoritatem divinæ jussionis quadam scurrilitate & risu elevant: cultum Deo tribuendum insidiosè corrum-punt: veram ejus invocationem depravant: sacraq; precationum jura, quibus omnia bona, & ἐπιπραξία à Deo impetrantur, foedè, turpiter & perfidiosè prophanant. Qui si aliquando experiantur, non desiderari divina gratia viros, qui eadem in furiosorum autorum capita retorquere sciant, ac secundum verbum sapientis juxta stulticiam eorum respondere ipsis & audeant & possint, vim & Diabolicam tyrannidem intentant: Julianos Apostatas agunt, & fabrilem Philistæorum more artem de terra Israelitica auferunt, ne hastis & gladijs instructa à furore & insania rabiasarum belluarum se defendat: violento, inquam, modo, & edicto studia pietatis, artium, & liberalium doctrinarum tollunt. Hæ strophæ divina virtute cavendæ sunt: hæ vires cælesti ope frangendæ: hoc malum amovendum: hæc pestis extinguenda est. Quapropter cum tantæ causæ constitutionis scholarum sint, tam laudato studio hæ ab initio mundi ecclesiæ Dei, tanquam arteriæ in hominum corporibus venis conjunctæ fuerint, tanta earum præstantia dignitas & gloria habeatur: tam immanes hostes inimicissimè ac infestissimè undiq; illas oppugnent, omnes homines hanc operam sumere decet, ut scholæ à vi & tyrannide Diabolica, rabie ac insultu furiosorum hostium integræ conserventur, constituentur, foveantur, sustententur, augeantur, floreat. Quod cum divinam curam & auxilium desideret, tibi æterne Deus, pater Domini & salvatoris nostri Iesu Christi, cum spiritu sancto, toto pectore gratias, quam animo concipere possumus, maximas agimus, quod ecclesiam in his terris collectam & scholas hoc turbulentissimo & calamitosissimo tempore paternè & clementer protexisti, ac illis veram doctrinæ cælestis prophetis ac apostolicis

*Proverb.*

21.

*1. Reg. 13.*



stolicis scriptis comprehensam tuam lucem, bonitatem, sapi-  
entiam ac justiciam communicasti: Te datorem & conserva-  
torem omnium salutarium rerum: te altorem: te omnia tuo  
numine sanctificata vivificantem, te, inquam, veris gemitibus  
& assiduis votis oramus, ut hac cælesti æterni thesauri gratia,  
hoc summo salis & farinae Helisæi bono, nos quàm diutissimè in  
concordia concessis Alcedonijs frui permittas: ac magistra-  
tum tuæ dispensationis ministrum sancto tui vultus lumine col-  
lustres & compleas, ut fidissimus rerum à te ipsi commissarum  
custos sit: Ecclesiæ nutricium, scholarum patronum, publi-  
cæq; rei & pacis tutorem se præbeat, ac omnem diligentiam ac  
officium in hoc conferat, ut illis hospitia sint, ne lux divinorum  
documentorum extinguatur, vel corruptelarum tenebris ob-  
scuretur, sed integrè, pureq; ad multa secula transmissa toti  
posteritati oriatur: Ne nobis scholas ædificantibus ferrum se-  
curis in aquam decidat, & submergatur, sed divina ope super-  
natet, tollatur, & ad cadendum salutaria nostræ vocationis  
ligna accommodetur. Sic ad te conversi summum nobis  
propositum finem in hac vita consequemur: te agnoscemus:  
te venerabimur: te colemus: te celebrabimus: Sic in futuro  
seculo cœtui cælestis Academiæ juncti æterna studia tractabi-  
mus: sic perfectæ doctrinæ cognitione, tuo conspectu,  
conluetudine omnium angelorum & sancto-  
rum hominum, vera læticia, ac sempiterna beatitate per-  
fruemur.

*Exemplū  
extat lib.  
4. Reg.  
cap. 6.*

D I X I.



## ACTIO

Cum Deo instituta, ut veteri anno  
no c. 15. xcii. Epochæ Christianæ lapsa, novè  
inchoatus xciii. celebratissimæ illustrissimo-  
rum principum domui, quæ Cellis fixa est,  
divinam pacem & benedictio-  
nem ferat.



*N*is nunc quatuor lapsis portenta tulerunt

*A*stra: poli vates damna nefanda tulit.

*I*ri, dixerunt, totius claustra solutum

*M*undi: vel ruptum religionis opus.

*A*t Deus astrorum rector, vatumq; potenter

*M*iscuit exortis & bona sepè malis.

*S*tat mundus: stat Romulei quoq; gloria regni:

*S*tant & Christiadam gratia, vita, salus.

*S*int hæc pressa licet, tamen haud suppressa resurgunt:

*Q*uod Deuseffecit, tollere novit opus.

*I*ustas ergo, Deus, toto tibi pectore grates

*S*olvimus, utq; tuus laude vehatur honor.

*O*ramus, rege fata novi clementer & anni:

*R*ecta tuo nobis fausta favore vehant.

*Dux*



Dux cecidit superis lachryma de valle vocatus  
Guilhelmus, patriæ gloria, luxq; pater.  
Absterfis terræ lachrymis jam pulcher honorem  
Effulget, cæli prosperitate fruens.  
Temporis hos novitate novos nova gratia salvet,  
Qui tua constanti corde statuta colunt.  
Aucta sit hac, petimus, vidua cum principe, princeps  
In squalore jacens sit domus atq; ducum.  
Vox divina ferens animis solatia firmet,  
Et DOROTHEÆ cor tueatur ope.  
Cor Deus hoc sancto collustres lumine, divæ  
Sit pietatis amans: impietate carens.  
Actua, virtutis patriæ, benedictio prolem  
Heredem foveat, spem, Deus, imperij.  
Hæc, ERNESTE tuam, dux illustrissime, vitam  
Servet: sint cæli fata benigna tibi.  
Hæc q; tuam CHRISTI nomen, dux optime, vitam  
Protegat, & cæli fundere nōrit opes.  
Hæc vitam fratrum servet, decus atq; sororum,  
Ut crescant horum corda timore Dei.  
Sint anima salvi: sint sano corpore firmi:  
Nam divinam pars utraq; poscit opem.  
Integra salva domus subsistat: luce regantur  
Atq; tua, fidi pectora consilij.

Hæc ita



*Hæc ita si fuerint, erit ac tua iussio cura.  
His, quibus & vigeat publica nixa salus.  
Floreat unde tuo catus qui pendet ab ore:  
Multum justiciæ luceat atq; decus.  
Vnusquisq; suos subeat, tibi vota, labores  
Solvens, & concors munia sacra colat.  
Exorsus nam sic, medium sic, exitus anni  
Divinam noscens sic meditetur opem.  
Quodlibet inde tuum factum commonstret honorem  
Candida turba piè quod tibi foia gerit.*

A  
M. Henrico Achemio Celsitudinis  
eorum humili servo.













Nr 407.  
83

ULB Halle  
000 997 781

3




Sb.

*[Faint blue ink scribbles]*


VD 17











ORATIO  
DE CAUSIS, CELEBRATIONE AC DIGNITATE SCHOLARVM IN veteri & nouo testamento constitutarum, habita Helmaestadij in inclyta Academia IVLIA Calend: Februarij anni Epochæ Christianæ

CID. ID. XCI.

*M. HENRICO ACHEMIO.*



HELMÆSTADII  
*Excudebat Iacobus Lucius, Anno 1593.*